



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

2 Collatio beneficiorum regulariter hodie Episcopis in quatuor duntaxat mensibus spectat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 103 Conservatoria pluribus non fuerunt sublatæ, nec imminuta.
- 104 Conservatores, quando eligi possint à regularibus.
- 105 Visitare possunt Episcopi parochiales ordinis Hierosolymitani in pluribus.
- 106 Episcopi, in quas personas ordinis Hierosolymitani jurisdictionem exercere possint.
- 107 Privilegia ordinis Hierosolymitani, quibus non suffragentur.
- 108 Privilegium concessum monachis super immunitate tutela non suffragatur si vagentur.
- 109 Beneficium datur propter officium, sed ob fornicationem dimittens, amittit beneficium.
- 110 Parochiales conferuntur, ut parochi resident, & ob non residentiam sunt privandi.
- 111 Beneficia dantur, ut ecclesie inserviantur, & excommunicato proventus sunt subtrahendi.

EPISCOPI † de jure communi non solum habent jurisdictionem contentiosam, de qua supra cap. 16. pluribus egi, sed & in conferendis beneficijs suarum civitatum, & dicecesum, habent jurisdictionem fundatam, quod ad eos spectet collatio, & institutio omnium beneficiorum, cap. nullus omnino, 16. quasi. 7. & Abb. in cons. 106. num. 3. lib. 2. & ordinaria auctoritate amplam habebant facultatem, quocumque tempore vacarent, illa conferendi, gl. in cap. quanquam. in verb. devolvetur, vers. ut igitur, & verb. secus, de elect. in 6. & Staph. de grat. expectat. §. 1. num. 1. & num. 28. sed per constitutionem: Ad regimen, & Execrabilis, & alia jura nova, fuit illis limitata.

Unde regulariter † beneficia in quatuor mensibus, videlicet Martij, Junij, Septembris, & Decembris duntaxat vacantia ab Ordinarijs locorum possunt conferri, Staph. d. tract. de grat. expect. numer. 6. & reg. cancell. Clement. Papæ VIII. reg. 6. cujus vigore possunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi ampliori † prærogativa gaudere, cum vigore alternativæ, quæ eis tribuitur, quandiu apud ecclesias, aut diceces suas vere, ac personaliter re-

sident, duntaxat in sex mensibus, videlicet, Februarij, Junij, Augusti, Octobris, & Decembris beneficia vacantia conferre possint, postquam per parentes litteras manu propria subsignatas, suoque sigillo munitas, & in sua quisque civitate, & dicecesi data, & declaraverint, alternativam prædictam acceptare, & litteras ipsas ad Datarium Papæ transmiserint, quibus ab eo receptis, & in Dataria recognitis, tunc demum, & non antea, incipiunt eadem gratia alternativæ gaudere, ut in ead. reg. §. insuper.

4 Alternativa † non acceptata, vel Episcopo ex aliqua causa non residente, in prædictis quatuor Martij, Junij, Septembris, & Decembris mensibus conferre potest, sed ea acceptata, alio jure utitur, quia alternatis mensibus, videlicet, de vacantibus in dictis Februarij, Aprilis, Junij, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus facultatem habet conferendi, nec tunc, nisi apud suam ecclesiam, vel in dicecesi residens reperitur, etiam si absens ex causa suæ ecclesiæ necessaria, vel Sedis Apostolicæ esset, quia alternativa conceditur residentibus cum ditione taxativa, vere, & personaliter duntaxat, quæ excludit, & negat